



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Henrici || Svsonis Viri Sanctita-||te, Ervditione Et
Mi-||racvlis Clari, Opera**

Seuse, Heinrich

Coloniae, 1615

Centum Meditationes Dominicæ Paßionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38029

D. HENRICVS

SVSONIS VIRI SANCTI-
SIMI, CENTVM MEDITATIO-

NES PASSIONIS CHRISTI IG-

*su, ipsi diuinitus reuelata, breues qui-**dem, sed admodum pia &**efficaces.*

PROLOGVS AVTHORIS.



VISQVIS sub compendio
 deuotè ac pio cum affectu
 Christi passionem acerbis-
 simam & amoris spirantibus
 mam, in qua sita est tota ho-
 minum salus, mente reuelare,
 uere, secumque commemorare,
 atq; illius multimodis afflictio-
 nibus gratum se præbere appetit,
 centum has Meditationes breui-
 bus comprehensas verbis, memo-
 riæ commendabit, ita ut sensum
 mentemq; illarum animo affixam
 retineat, piarq; cordis deuotione
 cum centum, ut vocant, uenijs,
 id est, humilissimis osculationibus,
 aut alio ipsi magis congruo
 modo quotidie eas percurreret:
 & quoties humiliter osculatur,
 toties orationem Dominicam, seu
 Salue regina, vel Angelicam salu-
 tionem, ubi beatissimæ virginis
 Mariæ fit mentio, adiunget.
 Hac namque ratione fratri cui-
 dam religioso post nocturnas
 preces diuinitus reuelatum
 fuere, stanti uidelicet coram
 imagine crucifixi, ac pie con-
 querenti Deo, quod non posset
 ab ipso
 graui

OIV

45

gravi molestia & tædio illius passionem animo reuoluere. Si quidem ad id vsque temporis eo malo siue eo defectu non parum laborauerat. Petitiones autem siue adspiraciones hęc Dominicę passionis meditationibus adiunctas, idem frater ex seipso attexit, idq; succinctè, vt habeat quilibet, modum quendam vel occasionem petendi à Deo, vel ad Deum adspirandi, prout se affectum senserit.

Dominica die, vel ad Matutinas.

ADmoneo te IESV pijsime sudoris illius sanguinei, quem tibi post cœnam ultimam in horto oranti, pijsimi cordis tui inaffabilis angustia vberim expressit. II. Memento crudelissimæ illius captiuitatis tuæ, immanissimæ colligationis, & miserandæ abductionis. III. Memineris pie IESV, vt ea nocte duris te affecerint verberibus, phlegmatibus conspurcârint, oculorum velatione probrosè ac indignè nimis tractârint. IIII. Vt mane coram Caïpha condemnatus, & morti velut reus adiudicatus fueris. V. Vt mater mœstissima immenso cordis cum dolore te respexerit. VI. Vt Pilato ignominiosè exhibitus, coram illo falso accusatus, & ab eodem mortis sententia iniquè damnatus fueris. VII. Vt Herodes cum suis in alba veste ceu fatuū te irriserit, qui es Patris æterna Sapientia. VIII. Vt elegantissimū corpus tuum horridi flagrorum & virgarum ictus dirè sulcauerint, ac cõminuerint. IX. Vt caput tenerimum vepres & spinæ acutissimæ confixerint, largiter per faciẽ
desur-

I.

decurrentibus pretiosi sanguinis tui rivulis
X. Ut tandem tam miserè affectus, mortuè
ceperis sententiam, atq; propriam ferens op-
cem, summa cum ignominia ad supplicium
cum eductus fueris.

ORATIO.

Obscuro Domine vnica spes & fiducia
mea, horum omnium admonitus, pi-
terna benignitate succurre mihi miser-
e, quibuslibet laboranti aduersis casibus & ang-
stijs. Absolve me à duris & grauibus peccatorum
meorum vinculis. Serua me ab occultis vitijs
& publica ignominia. Tuere ac defende me
dæmonum fallaciosis persuasionibus, & vici-
orum omnium occasionibus ac incitationibus.
Fac me tuos & matris pijsimæ dolores in
animi compassione sentire. Misericordem
mihi iudicem præbe extremum trahenti
ritum. Doce me Mundi honores despiciere.
tibi sapienter ac rationabiliter inferuire.
na & dilue culpas meas omnes vulnera
tuis. Ratio mea sacratissimi capitis tui
manissimis doloribus aduersum tentationes
omnes confirmetur & exornetur. Deniq; pro
sta mihi quaslibet cruces & perpersiones
pro viribus sectari.

Memento dulcissime IESU, vt è sublimi
crucis stipite pendentis lucidissimo
culi tui defecerint ac euerfi fuerint.
Vt diuinæ aures tuæ ludibrijs, conuicijs & blas-
phemijs oppleta fuerint: III. Vt præclarissi-
mum odoratum tuum puentissimo fuerit
afflitus

affixerint. IV. Vt os sacratissimum acerbissima porione infecerint. V. Vt tactum delicatum duris attriuerint verberibus.

Quæso Domine cohibe oculos meos à lasciuo ac vano adspectu. Aures à fabulis & inani iouquio. Da vt visibilia & corporea cuncta mihi sordescant. Fac vt temporalia quæuis mihi vertantur in nauseam. Aufer à me proprij corporis curam superfluam & delicatam.

Feria Secunda, vel, ad Primam.

Memineris etiam dulcissime IESV, vt sacrosanctum caput tuum præ nimio dolore & incommodis hæserit pendulum. VII. Vt gracile collum tuum crudeliter casum fuerit. VIII. Vt gratissimam faciem tetra phlegmata & sanguis penitus operuerint. IX. Vt viuidus color tuus totus expalluerit. X. Vt omnis corporis tui decôr emarcuerit. VI.

ORATIO.

Præsta mihi Domine corporis amare & amplecti incommoda, & non nisi in te vno acquiescere, aliena mala æquanimiter perpeti: mei cõtemptrum desiderare: extinguere appetitiones & cupiditates meas: atque quæuis oblectamenta & voluptates pessum premere ac mortificare.

Memor esto Domine IESV, vt dextram manum tuam clauo confixerint. II. *Itemq; sinistram.* III. Vt dextrum brachium

§§

chium

chium dire intenderint. IV. Atque itidem finis-
trum. V. Ut pedem dextrum confoderint.
VI. Eademque crudelitate finistrum. VII. Ut
velut impotens ac viribus destitutus pepere-
ris in cruce. VIII. Ut crura tua nimium deli-
sata fuerint. IX. Ut cuncta tenerrima mem-
bra tua ad crucis ergastulum immobiliter
strinxerint. X. Ut corpus tuum feruens sanguine
multis locis tinxerit.

ORATIO.

ITa mi Domine fac me in aduersis & pro-
peris immobiliter tibi ceu clavis confixus
adstringi: omnes animæ & corporis vires
in tua cruce extendi: Intellectum & Affectum
meum tibi affigi atque inhærere. Præsta, ne
corporis oblectamenta sectari queam: sed tuam
laudem & honorem alacriter & studiose spe-
ctem & aucuper. Non sit mi Domine vilius
corporis mei membrum, quod non speciatim
tuam mortem suo modo meditetur, rursusque
passionis quandam similitudinem amabiliter
præ se ferat exhibearque.

Feria Tertia, vel, ad Tertiam.

I.

Recordare suavissime IESU, ut florentis-
simum corpus tuum in cruce præ indige-
ntia & inopia extabuerit ac exaruerit.
Ut defatigarum dorsum tuum asper crucis coti-
tex miserè torserit. III. Ut corpus san-
guine suo pondere deorsum retenderit ac depressum
fuerit. IV. Ut totum corpus vulneribus, dolo-
ribus ac liuoribus confectum fuerit. V. Ut hæc
omnia corde amantissimo pertuleris.

ORATIO.

ORATIO.

Clementissime Domine, indigentia tua sit
mei perennis instauratio, meq; perpetuo
faciat reuirescere. Dorso tui aspera reclina-
tio sit mihi spiritalis requies. Corporis tui
in ima depressio meam potenter sustentet im-
becillitatem. Dolores tui meos sanent. Cor tuum
amore feruentissimum, flagrantissima chari-
tate meum inflammet.

Sis memor benignissime IESU, vt mortis
sanguoribus correptum & summis affectum
cruciamenis impij hostes tui contumelijs
blasphemijs & scommatibus te vexauerint. II.
Vt irridiculis te gestibus ac morib⁹ deluserint.
III. Vt prorsus te suis in cordibus pro nihilo
duxerint ac vilipenderint. IV. Vt in his con-
stantissime perseueraueris. V. Vt patrem pro
illis benigne deprecatus fueris. VI. Vt agnus
innocens cum sceleratis reputatus fueris. VII.
Vt Latro ad sinistram pendens, te despexerit &
condemnauerit. VIII. Vt alter te implorauerit.
IX. Vt cuncta illi peccata remiseris. X. Vt cele-
stem ei patefeceris paradisum.

ORATIO.

Doce obsecro Domine famulum tuum que-
uis conuitia, scommata, ludibria, & con-
temptum ac vilipensionem omnem tuam
amore fortiter perpeti, cunctosque aduersari-
os meos apud te pie excusare. O fons inexhau-
sta benignitatis IESU amantissime, en offero
hodie immeritam mortem tuam caelesti Patri
tuo pro rea multisque vitijs obnoxia vita mea:

S a E M

Luc. 23.

En imploro misericordiam tuam cum Iesu. Memento, memento obsecro mei in regno tuo. Neme condemnes pro erratis meis. Mitte mihi quicquid vnquam male gessi. Aperte mihi caelestem paradifum.

Feria Quarta, vel, ad Sextam.

I.

Memento dulcissime IESV, vt eadem hora mei causa à cunctis hominibus feris derelictus. II. Vt amici te cuiusquam extraneum non agnouerint. III. Vt non odus, omniq; honore pariter ac veste priuam pependerit. IV. Vt omnipotens virtus tua plene impotens visa fuerit. V. Vt te crudelissimi absque vlla misericordia & humanitate traherent, tuq; omnia tacitus ac mansuetus pertruleris. VI. Vt grauissimo cordis dolore confectus fueris, perspiciens matris pijsime insufferabiles angustias, tibi vni perfecte cognitas. VII. Eius etiam miserabiles contemplans gestus. VIII. Illius lamentabiles audiens querimonias. IX. Atque in ipsa mortis conflictatione, iam iamq; ab ea separandus, discipulo illum ceu matrem omni pietate ac fide prosequendam commendans. X. Denique & ipsi discipulum assignans, ceu filium materna beneuolentia complectendum.

Iean. 19.

ORATIO.

Opreclarissimum virtutum omnium exemplar IESV sapientissime, aufer à me mortalium omnium perniciosum amorem, erga cognatos omnes inordinatum affectum.

OTV
45

sum & sollicitudinem. Libera & absolue me ab
 omni occupatione inutili. Presta mihi constan-
 tiam & firmitatem aduersus omnes spiritus ma-
 lignos: & mansuetudinem erga quosuis impor-
 tunos ac turbulentos homines. Pijssime IESV,
 imprime acerbissimam mortem tuam medul-
 lis cordis mei: reluceat illa in precibus meis,
 & operum exhibitione declaretur. Ego me to-
 tum suavissime IESV commendo perpetuæ cu-
 ræ fidei sacratissimæ Matris tuæ, & charissimi
 discipuli tui Ioannis. (Dicatur Salve Regina,
 vel Angelica saluatio.)

De compassione virginis Matris.

Admoneo te sacratissima virgo Maria in-
 effabilis doloris illius, quem in tuo sen-
 sisti materno pectore, simulatq; inspexi-
 sti charissimum filium tuum ab alta cruce pen-
 dentem, mortis angoribus correptum. II. Nec
 tamen ei opem ferre potuisti. III. Et cum filij
 tui agonem in cruce mœstissima adspiceres.
 IV. Cùm eum miserandum in modum plan-
 geres. V. Et ille te benignissimè consolaretur.
 VI. Cum verba illius audires, cor tuum pijssi-
 mum sauciantia. VII. Gestus tui lamentabiles
 saxea adstantium pectora emollirent. VIII.
 Maternas manus & brachia miserabiliter sur-
 sum erigeres. IX. At corpus dolore confectum,
 ac viribus destitutum collaberetur. X. Sacratif-
 simo ore tuo sanguinem filij largiter decurrē-
 tem deosculareris. Et à ergò mater totius gra-
 tiæ, mater misericordiæ, serua ac tuere me ma-
 terna benignitate cunctis vitæ meæ diebus:

ss 3 pro-

protege me misericorditer in extremo spiritu
 constitutum. Ea namque hora est Domina
 sanctissima, cuius causa toto vitæ tempo-
 re pio esse famulus & cultor tuus. Ea est terribilis
 illa hora, ad cuius memoriam cor animumque
 terrore corripitur. Cessant tum preces & im-
 plorationes. Neque noui Domina mea, ad que-
 tum confugere debeam. Eia ergo abyssus in-
 hausta diuinæ misericordiæ, tuis aduocatis
 hodie vestigijs, alta ex imò pectore trabam
 suspiria, oro & obsecro dignus ut tam effu-
 merear iucundissima præsentia tua. Qui enim
 desperare poterit, aut quis nocere illi que-
 quem tu mater sanctissima tueri vales? De-
 de me tunc vnica consolatio mea à terribili
 horridis dæmonum aspectibus, succurre
 sero, & ab illorum cruentis me serua manibus.
 Solare tum miserabiles gemitus meos. Vnde
 imbecillitatem & defectum ex mortis prop-
 quitate accedentem, oculis misericordiam
 respicias placidè ac benignè. Pijsimas manus
 porrige manus tuas. Suscipe miseram ac de-
 latam animam meam, & roseo vultu tuo
 duc eam ad summi iudicis conspectum, an-
 æterna beatitudine certam effice & confirma

Feria Quinta, vel, ad Nonam.

IEs v dulcissime, qui summè places Deo
 tri omnipotenti, recordare obsecro, tu
 cruce suspensus præter externos grauissimos
 corporis dolores, mortisque angustias, et
 intus fueris omni suauitate & consolatione
 nitus destitutus. II. Vt patrem miserabili

Matth. 27.

Matth. 5.

Ioan. 19.

inuocaueris. III. Vt voluntatem tuam illius
 prorsus conformaueris atque vniêris. IV. Vt
 præ nimia ariditate corporaliter sitiêris vehe-
 mentissime. V. Vt etiam præ immenso amore
 admodum sitiêris spiritualiter. VI. Vt tam into-
 lerabili cruciatio siti fel & acetum tibi præbue-
 rint. VII. Vt peractis omnibus, dixeris: Con-
 summatum est. VIII. Vt patri charissimo ad
 mortem vsque obediêris. IX. Vt spiritum tuum
 eius paternis manibus commendaueris. X. Vt
 anima præclarissima à sanctissimo corpore tuo
 separata fuerit.

ORATIO.

IN huius charitatis vnione te obsecro pie &
 suavis Domine IESU, in quibuslibet affli-
 ctionibus meis mihi præsto sis pro bonitate
 tua: clamori ac precibus meis paternas aures
 nunquam non accommodes & patefacias: vo-
 luntatem mihi tribuas tibi semper & in omni-
 bus conformem ac vnitam rerum corpora-
 lium ac labentium omnium in me sitim extin-
 guas: spiritualia ac diuina me sitire facias: acer-
 bissima potio tua aduersitates meas omnes mi-
 hi vertat in dulcedinem. Præsta vt sano ac pio
 sensu, & in bonis operibus ad mortem vsque
 perseuerem, nec vnquam à tua obedientia de-
 flectam. Commendo hodie clementissime Iesu
 spiritum meum in manus tuas, vt è corpore
 discedens, à te hilariter & placidè excipiatur.
 Præsta mihi Domine vitam tibi placitam &
 acceptam, ac benè præparatam & felicè obitum,
 vitæq; terminum de futura beatitudine ex tua
 gratia

gratia certum ac securum. Amara mors tu
 farciat & perficiat exigua opera mea, ut ea
 ra ab omni culpa simul & pcena omnino ab
 latus hinc exeam.

Feria sexta, vel, ad Vesperas.

Memento Domine IESV, ut lancea
 ta tuum fixerit latus. II. Ut inde pur
 reus manarit sanguis. III. Simul et
 aqua vitalis emerferit. IV. Quanto labore
 dolore me redemeris. V. Quam præclare
 lariter me in libertatem restitueris ac vim
 câris.

ORATIO.

Piffime IESV, profundum tui lateris
 nus protegat ac muniat me contra om
 hostes meos. Vitalis vnda inde man
 abluat ac emũdet me à peccatis omnibus. Pu
 pureus sanguis tuus omnigenis me virtutibus
 & gratia exornet. Labores & dolores tui
 causa suscepti, te mihi deuinciant, reddant
 propitium. Atque hoc ipsum, quod me cam
 cellenter & hilariter libertati restituiti, p
 enni me tibi vnione coniungat.

Ad Virginem Matrem.

I. **O**Vnica & singularis post Deum conf
 tio peccatorum omnium, præclarissima
 Regina, semper virgo MARIA, me
 neris obsecro, ut olim sub cruce steteris, vi
 emortuum filium tuum: utq; ad illum cor
 te pendentem exanimem sæpe miserandum
 modum

Ioan. 19.

modum suspexeris. II. Quanta pietate, quàm materno affectu eius à cruce absoluti brachia exceperis. III. Qua fide & charitate sanguinolento vultui tuo ea appresseris. IV. Ut recentes eius plagas & vulnera, vultum què emortuum exosculata fueris. V. Quam crebra illic mortifera in tuo pectore vulnera acceperis. VI. Quam frequentes altosque ac lamentabiles emiseris gemitus. VII. Quam innumeras easque valdè acerbis fuderis lachrymas. VIII. Quam lamentabiles protuleris sermones. IX. Quàm tristis ac lugubris fuerit vultus tuus alioqui serenissimus. X. Ut denique cordis tui immensos dolores nec mortales simul omnes consolari potuissent.

ORATIO.

Horum omnium admonita clementissima Domina, perpetua quæso sis custos & fida moderatrix totius vitæ meæ: Maternos oculos ad me benignè conuerte. Conserua me fideliter à quibuslibet hostibus meis sub umbra alarum dilectissimi filij tui. Seduia illa tua exosculatio vulnerum eius, ipsum mihi reconciliet. Mortifera cordis tui vulnera veram mihi cordis contritionem impetrent. Profunda suspiria tua iuge in me Dei desiderium excitent. Verba tua longè tristissima ac voces lamentabiles omnem à me sermonem ociosum excludant ac aboleant. Mœstissimi gestus tui nullos in me gestus moresve dissolutos hærere patiantur. Cor tuum desolatissimum, faciat me caducum amorem omnem prorsus nihili pendere.

Ss 5

Sab.

- I. **O** Splendor & candor lucis æternæ, quam penitus modò extinctus es, dum te anima mea in tristissimæ matris sinu exanimè contemplatur, & pijs cum querimonijs ac laude circumplectitur sub cruce. Extingue in me ardentem vitiorum omnium libidinem & cupiditatem. II. O speculum sine macula Dei maiestatis, vt præ amore, salutis meæ causa conammatum es. Repurga sordentes & grandes maculas vitiorum meorum. III. O imago lucidissima bonitatis Dei patris, quanto opere cõspicata es. Reforma ac redintegra depravatam animæ meæ imaginè. IV. O agne innocentiissime, quam immaniter tractatus es. Satisfac & expia noxiam & malè de te meritam vitam meam. V. O rex regum & Domine dominantium, præsta mihi obsecro, vt quemadmodum anima mea cum lamento ac dolore te nunc ad abiectum complectitur: ita tu meam in tua sempiterna claritudine & gloria circumplectaris cum gaudio.

Ad condolentissimam Matrem IESV.

- I. **S**acratissima virgo MARIA, recordare quæso inestimabilis doloris illius, qui te inuasit, cum exanime filij tui corpus à tuo pectore auelleretur. II. Memineris tristissimæ sepulchro filij discessionis. III. Vestigiorum ac gressuum tuorum miserabilium. IV. Molestissimi cordis, ad filium sepultum suspirantis. V. Constantissimæ fidelitatis, & fidelissimæ constantiæ, quam tu sola illi exhibuisti in cubilijs eius angu-

OIV
45

angustijs ac necessitatibus, donec in monumento reconditum cerneres.

ORATIO.

Impetra mihi pijsissima mater apud dilectissimum filium tuum, vt illius passione & tuis doloribus cunctas meas afflictiones & dolores superem, vt in eius sepulchro à quibuslibet curis & occupationibus temporarijs me abscondam, vt totus hic Mundus mihi vertatur in exilium: adeo illi vni auidissime suspirem, atq; in illius laude & tuo famulatu ad vltimū vsq; spiritum stabilis perseuerem. Amen.

DE AETERNA SAPIENTIA
EXERCITIVM, AMANTI ANIMAE
REVERA DVLCISSIMVM D. HEN-
rico Susoni diuinitus reue-
latum.

QUIS QVIS optat æternæ Sapientiæ, quæ est Dominus noster Iesus Christus, amabilis fieri Discipul^o, in Dei amore perpetim profectum facere, à malis seruari, gratia, benedictione & familiari Dei amicitia affici, bene viuere & feliciter mori, cuiuscunque status vel conditionis sit, ea quæ sequuntur diligenter obseruabit, quæ sunt ita moderata ac temperata, vt nihil habeat difficultatis, & quilibet ea posset exequi absq; præiudicio sui status vel conditionis. Non enim hic vlla cuiquam obligatio indicitur, sed qui torpore animi contracti sunt, ad Dei amorē inuitantur. In primis igitur quilibet æternæ Sapientiæ discipulus, omnē
priua-

Priuatō dedi-
gus amorī
quid agere
debeat ut eo-
dem exuatur.

priuatū amorem, & erga seipsum & quales
bet res terrenas affectum inordinatum ac res
xum, pro viribus abijciat fugiet & extirpabit
ac ipsam præclarissimam Sapientiam in Spon-
sam suam & amicam eliget & assumer: Quod
quisquam adeo est priuato implicatus amore
ut nimis putet arduum, si ab eo se vi quadam
debeat extricare, is animo pium cōcipiat pro-
positum ac desiderium se ab amore noxio sub-
ducendi, ubi Dei gratiam & auxilium occu-
ne aliqua sibi senserit efficaciter arridere, in-
choetque hoc exercitium. Porro quos talis
irretrahit amor, sed tamen desides hætenus
negligentes in Dei amore fuerunt, ij spiritalem
hanc sponsam denuo sibi desponsent, eiusque
amorem noui feruoris affectu quodam restan-
rent, & cui prius seruiērunt formidine peccati
tanquam Domino, deinceps ceu sponsæ amari-
tissimæ studeant placere & adhærere feruente
charitate: iugiter animo pensitantes excellen-
tiam, benignitatem & præsentiam huius diuini-
ssimæ sponsæ vel sponsi, prout eum appelle-
re libuerit. Non enim est sexus in Deo vel in
anima, sed est spiritus purus & simplex. O ter-
quaterque beatos, qui in hac vita in eius meritis
amicitiam & familiaritatem admittunt. Hæc
autem desponsatio non solum debet fieri in
in anima, sed etiam ob feruorem excitandum
foris, occultè tamen, idque per quædam deuotio-
nis signa, eo quo sequitur modo:

Principio quisquis in æternæ Sapientie Pro-
ternitatem vult recipi, dicat tres orationes Do-
minicas cum totidem angelicis salutationibus
& tribus vicibus seipsum secreto humi pro-
sternat.

OIV

45

sternat, hoc ipso totum sese æternæ Sapientiæ offerens, permittens ac resignans: peratq; ab ea arrham desponsationis, videlicet nouam quãdam gratiam in signum mutue dilectionis & fidei, quam neque mors, neq; vita, neq; creatura vlla vnquam possit violare.

Æternæ Sapientiæ pij cultores & discipuli legant quotidie preces Horarias in frè addēdas quæ vulgo dicuntur **CURSUS ÆTERNÆ SAPIENTIAE**, apprimè deuotas ac salutaris. Has preces qui legere nesciunt aut non possunt, dicant loco earum septies orationem Dominicam cum totidem angelicis salutationibus, videlicet pro qualibet hora vnam: idque hac intentione, vt diuina Sapiencia ipsorum torda & corpora conseruet, ne ab hoc Mundo vanitatibus & periculis referto illaqueentur, sed cautè ac prudenter ambulantes, à cunctis malis protegantur, & via recta ad æternam salutem à Domino dirigantur.

In mensa post benedictionem antequam comedant, dicant vnam orationem Dominicam cum Angelica salutatione pro eleemosyna spiritali animabus magis indigis in purgatorio, attendentes quanti periculi sit eleemosynis absque gratitudine vti, & quam pium, miseros, qui sibi ipsi opem ferre nequeant, iuuare: quãtq; gratitudine accipiant vel minima quæq; de mensa dominorum suorum cadentia pro ipsorum refrigerio.

Dicant etiam vnam orationem Dominicam cum angelica salutatione dulcissimo & saluifero nomini æternæ Sapientiæ, quod est Iesus, vt ipse Dominus cunctos æternæ Sapientiæ disci-

discipulos, sanctamque Ecclesiam Catholicam
seruet & teneatur ab omnibus aduersis & hominum
insidijs, addentes hæc verba: Benedictum
dulce nomen Domini nostri Iesu Christi,
gloriosæ virginis Mariæ matris eius in æter-
num & ultra, Amen: vt dulcis IESVS, qui
ce temporibus multorum cordibus misere
profigatus est, quod omnes quæ sua sunt qua-
rant, non quæ Iesu Christi, amorem suum
eis accendat, nomenque suum mellissimum illi
imprimat, in eisque conferuet.

Philip. 2.

Debent præterea discipuli æternæ sapientie
Dominam ac Sponsam suam certis anni diebus
speciali quodam venerationis officio profes-

Primus dies est Dominica prima Augusti,
quo libri Sapientie inchoantur in Ecclesia Dei.

Secundus dies est septimus ante vigiliam Na-
talis Christi, quo incipitur antiphona, O Sapi-
entia. Hoc die & consequentibus vsque ad natalem
illam gloriosam, qua in hunc Mundum æter-
na Sapientia dignata est corporaliter ingredi,
specialem quandam faciant æternæ Sapientie
commemorationem per Antiphonam, vel Col-
lectam, siue Orationem Dominicam pro curia
que deuotione. Qui sacerdos est, si his diebus
deuotè Missas celebrauerit de æterna Sapientia
faciet illi rem gratissimam.

Tertius dies est Circumcisionis Domini.
Hoc inchoatur nouus annus & pro quorundam
terrarum consuetudine amici vicissim
mittunt munera, alij alijs faustum precant
annum. Eodem modo hoc die Sapientia disci-
pulus pro diuini amoris incitamento Spon-
sam suam cælestem adeat, felicem annum

ipſi & cunctis condiscipulis, & toti Eccleſiæ ab illa petens.

Quartus dies eſt Dominica, Eſto mihi, in Bacchanalibus, qui ſtultis mundi amatoribus celebris habetur, quem amici conuenientes, multis iniquitatibus & vanis conſolatiunculis contaminare ſolent. Vt ergo diſcipulus Sapien- tiæ certo declarat indicio, eam ipſam Sapien- tiã totum ac vnicum ſuum eſſe gaudium & ſola- tium in hac vita pariter & futura, faciat quod infra dicitur.

Quintus dies eſt Calendis Maij, cùm verna- lis ſerenitas cunctis grata & deſiderabilis pro- fert ſeſe in varijs terræ germinibus. Huius diei nocturno tempore in quibusdam locis adole- centes amori dediti, ramis & floribus ornât & deſignant domos in amoris & fidei documen- tum, in quibus putant ſe amicas habere. Vt er- go ex iniquo opere ſancta colligatur deuotio, quod dementes filij ſeculi faciunt homini mor- tali, hoc filij æternæ Sapien- tiæ faciant ſpirituali- ter omnium conditori, idq; tanto accurarius, quãto illa diuiniffima amica mortales omnes ſublimius excellit: offerantq; ei hoc die vel ce- reum vnum, aut orationem peculiarem.

Quemlibet prædictorum quinque dierum diſcipuli æternæ Sapien- tiæ ſingulari deuotio- nis inſtauratione celebrent, legentes centies o- rationem Dominicam cum totidem angelicis ſalutationibus, aut aliud aliquid: vel Miſſam auſcultent, vel (ſi ſint Sacerdotes) legant, aut accendant cereum, vel quippiam boni operis faciant in laudem & honorem æternæ Sapien- tiæ, quæ æterna lux eſt: idq; in euidentis argu-
mentum,

mentum, quod omnem salutem suam fideles discipuli in hoc fluxu tempore à sola spolia sua se recognoscant habere, & ab ea sola capere & sperare velint, quodque eius vnusquisque in ipsorum debeat lucere & ardere peccatoribus. Petantque, vt si qua fortassis occasione amor in ipsorum cordibus extinctus est, tam benignè & feruenter rursus accendatur, vt non possit extingui vnquam.

Sextus dies poterit esse alter à die omnium fidelium defunctorum, quo pro vniuersis fratribus & sororibus huius societatis vel vnionis, & pro illorum amicis defunctis Missas dicant, qui sacerdotio funguntur: vel faciant dici: aut centum orationes Dominicis, totiesque angelicas salutationes, vel aliud aliquod legant. Porro præmissis omnibus hanc orationem, si placet, addant quotidie: Pijssime Patris omnipotens, per coæternam tibi Sapientiam tuam Dominum nostrum Iesum Christum obsecro, vt afflictæ Ecclesiæ tuæ subuenias, & que ad pacem, vnionem & tranquillitatem reducas iuxta supremum tuum honorem & beneplacitum, Amen.

DISCIPULI quoque æternæ Sapientie filii Iutiferum nomen IESV qualitercunque scriptum vel effigiatum, clanculum siue sub velo siue quouis alio loco, prout ipsis magis congruit, secum ferant, dicantque manè cuiuslibet diei hanc salutationem, vt pius IESVS ab omni ipsos seruet malo, & ad felicem obitum perducatur.

Anima mea desideravit te in nocte, sed & spiritus meus in precordijs meis de mane evigilavit ad te o praclarissima Sapientia, petens ut desiderata praesentia tua cuncta nobis aduersantia remoueat, penetralia cordis nostri sua multiformi gratia perfundat, & in amore tuo vehementer accendat. Et nunc dulcissime Domine Iesu Christe ad te diluculo consurgo, teque ex intimo cordis affectu saluto. Millia quoque millium caelestium agminum tibi ministrantium te ex me saluent, ac decies millies centena millia tibi assistentium te ex me glorificent. Vniuersalis etiam harmonia omnium creaturarum te ex me collaudet, ac nomen tuum gloriosum protectionis nostrae clypeum benedicat in secula. Amen.

Præterea discipuli æternæ Sapientiæ summo cordis affectu venerari debent matrem ipsius æternæ Sapientiæ, quippe quæ eos ipsos ceu filio suo vnicè charos sibi in filios suscipere, illorum curam materna pietate gerere parata est. Quamobrem vnusquilibet discipulus quotidie nouem vicib⁹ dicat in eius honorem angelicam salutationem semel videlicet mane, dum surgit, genua flectens, offerat cuncta sua bona opera eo die facienda illi cæli reginæ in manus, vt ipsa tã reuerenda & lōge charissima mater exhibeat ea filio suo summo regi, cui grata & accepta reddantur ob reuerentiam tantæ mediatricis, quæ fortassis vilia, exigua, & minus grata forent ab homine peccatore Deo sine medio oblata. Itidem faciat serò post omnes absolutas preces iturus cubitum. Et vt securius dormiat, petat vt quicquid ea die neglectū est,

Tc per

per ipsam sarcatur: quicquid malè actum, per ipsam emendetur: quicquid rectè factum, per eam Deo fiat placitum & conseruetur.

Reliquas septem angelicas salutationes orat cordi genitricis Dei dulcissimo, omnium peccatorum refugio pijsimo, vt ipsa illius suauissimum æternæ Sapientiæ triclinium, cætarum miserationum Domini depositarium affluentiissimum benignè aperiat & inclinet: omnes huius eiusdem Sapientiæ discipulos in supremo spiritu constitutos, atque eos tum defendere, atque ad cæli palatia comes indiuina perducere dignetur.

Denique si qui aded sint debiles, aut occupationibus licitis impediti, vt quandoque eorum tempore his iam dictis vacare non possint, aut si vel ob duritiam, vel hebetudinem cordis non possint singula ita (vt dictum est) applicare, dicant quotidie nouem orationes Dominicæ & eorundem angelicas salutationes, faciantque antedictum suffragium ea intentione implicite & tacite, qua alij expressè & sufficit. Si quis etiam velit Salutationem angelicam commutare in Salue Regina, & orationem Dominicam in mensa dicendam, in Psalmum De profunda

benè faciet in honorem æternæ Sapien-

tiæ, quæ est benedicta in secula, Amen.

(.v.)